

aut nimis difficilem, aut parum utilem arbitrere, et ipsarum memoria rerum contentus sis, quod et utilior sit, et plus habeat facilitatis, admonendus es, quare verborum memoriam non improbemus. Nam putamus oportere eos, qui velint res faciliores sine labore et molestia facile meminisse, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos. Nec nos hanc verborum memoriam inducimus, ut versus meminisse possimus, sed ut hac exercitatione, illa rerum memoria, quod pertinet ad utilitatem, confirmetur; ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illam facilitatem transire possimus. Sed quum in omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa assiduitate exercitationis, tum vero in *μνημονικοῖς* minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur. Quam plurimos locos ut habeas, et quam maxime ad praecepta accommodatos, curare debebis. In imaginibus collocandis exerceri quotidie conveniet. Non enim, sicut a ceteris studiis abducimur nonnunquam occupatione, ita ab hac re nos potest causa deducere aliqua. Nunquam est enim, quin aliquid memoriae tradere velimus, et tum maxime, quum aliquo majore negotio detinemur. Quare quum sit utile, facile meminisse, non te fallit, quot tantopere utile sit, quanto labore sit appetendum.

Divinat. I. 29, 30. Vide, quid Socrates in Platonis *Politia* loquatur. Dicit enim: „Quum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quaedam sit, atque agrestis immanitas, quum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque jactari. Itaque huic omnia visa obijciuntur, a mente ac ratione vacua, ut videatur etiam trucidare aliquem, et impie cruentari, multaque facere impure atque tetre, cum temeritate et impudentia. At qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis: eaque parte animi,